

Quoniam vt ait Apostolus &c. *lika med N:o 275 till vitam eternam* Cum igitur sicut ex parte venerabilis fratris nostri archiepiscopi & dilectorum filiorum capituli ecclesie vpsalensis fuit propositum coram nobis iidem ecclesiam ipsam ignis consumptam incendio reparare incepert opere sumptuoso, & ad consumacionem ipsius eis proprie non suppetant facultates, vniuersitatem vestram rogamus monemus & hortamur in domino in remissionem uobis peccaminum iniungentes quatinus de bonis a deo uobis collatis eis pias elemosinas & grata caritatis subsidia erogetis, vt per subuencionem vestram predictum opus valeat consumari, & uos per hec & alia bona que domino inspirante feceritis ad eterne felicitatis possitis gaudia peruenire, nos enim de omnipotentis dei misericordia & beatorum petri & pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus & confessis qui manum eis ad hoc porrexerint adiutricem quadraginta dies de iniuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus, presentibus post ipsius consumacionem operis minime valitulis quas mitti per questuarios firmiter inhibemus eas si secus actum fuerit carere uiribus decernentes datum lugduni Kal. decembris pontificatus nostri anno octauo.

380.

1250 d. 3 Dec.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Bref till Prosten och Domkapitlet i Upsala, hvarigenom både de sjelfva och deras egendormar tagas under beskydd af Påfven, som tillika bekräftar den, dem af Konung ERIC ERICSSON och BIRGER JARL, under namn af fattigtonde, anslagne spannmål.

A. 1. a. 24.

INNOCENTJUS episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filijs . . Preposito et Capitulo ecclesie Vpsalensi. Salutem & apostolicam benedictionem. Sacro-sancta romana ecclesia deuotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consueuit. et ne prauorum hominum molestijs agitentur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confouere. Eapropter dilecti in domino filij uestris iustis postulacionibus grato concurrentes assensu, personas uestras & ecclesiam Vpsalensem in quo diuino uacatis obsequio cum omnibus bonis que impresentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem redditus bladi, que dicime pauperum uulgariter appellantur, quos clare memorie Ericus tertius Rex ac Nobilis vir Birgerus Dux Suetie uobis et ecclesie uestre prout spectabat ad eos pia & prouida deliberatione donarunt, nec non de Vpsalia. & de Eslehamar maneria ac terras possessiones & alia bona uestra sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis uobis & per uos ecclesie uestre auctoritate apostolica confirmamus. et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli &c. protectionis & confirmationis &c. Dat. Lugduni III Non. Decembris. Pontificatus nostri Anno Octauo.

Blybullan bortfallen.